Hypp. 5. lib. commentariorum in ſextum epidemion, ait: *Nẽpe quod natura eſt, id quod primum morbis medetur.* Medicus verò (ut ibidem docet Gal.) ſecundas in hac re, ſibi vendicat, qui 2. lib. commentariorum, in primis epidemion, ait: *Medicum eſſe miniſtrum, & imitatorem naturæ.* Natura verò nunquam in initia morborum, dũ illi crudi, ſunt aliquam molitur evaquationem, excretionemque; imó ſemper modo poſsit coctionem expectat; quod coctiones ut idem Hypp. teſtatur: *Celerem promittunt morbi iudicationem certamq; ſalutem, cruditas verò iudici difficultatem, dolores, morbi diuturnitatem, mortem, vel recidibas.* Quod confirmat Gal. 2 lib. commẽtariorum primum epidemion, commento 44. & lib 1. de criſibus, & 1. prorreticorum; & Hypp. lib. de humoribus; & Gal. 4. aphoriſmorum, commento 22. & in comment. 48. & Gal. in commento 22. lib. 4. ſic ait: *Quando morbus aliquis incipit, ſi quid excernitur, nihil tum excernitur ipſius naturæ ratione; ſed ea omnia ſunt eorum affectum ſimptomata, qui in corpore ſunt præter naturam eius, nam quo tempore natura à cauſis gravatur, cruditasque humorum adeſt eo fieri nequit, ut quiſpiam rectè evaquetur, quippe quod opus ſit coctionem præcedere mox verò excretionem, ac tum demum vaquationem, nimirum ſi proba ſit futura iudicatio.* Et paulò poſt cum nonnullis interpoſitis hæc inquit: *Quod ſi*

*alioquin excernantur absque signis coctionis, id pernitiosum signum est.* Et eadem sententia servasse in illis videtur, quibus 48. aphorismor. se explanat, quæ in hunc modum se habent: *Malæ excretiones praborum affectuum sunt signa.* Ex quibus locis manifestum est, quod necessarium sit expectare coctionem, quam per urinam cognoscimus ante purgationem, cum doctrina Hypp. & Galeni.

His prætermissis sic argumẽtum: cum purgatio sit remedium debet habere debitam quantitatem, qualitatem, occasionem, & utendi modum in sua administratione, ut procedat via, & metho do rationali; sed in principiis morborum humorum crudorum cum obstructionibus: præcipuèque in nostro casu nõ datur occasio, ad hoc ut deliberetur de purgatione via, & methodo rationali: ergo non est imperanda purgatio, quod non detur occasio; probatur, occasio sumitur expectantia postulantium, & absentia impedientium; ut dictum est cum Gal. sed in principiis morborũ pituitorum crudorum cum obstructionibus, datur magnum impediens: ergo non deliberabitur de purgatione, quod detur magnum impediens, dantur obstructiones, & crudi humores crasi, frigidi, & lenti: quod est maximum impediens, probatur cum Galeno in commento 24. lib. 1. aphorismorum, vbi inquit: *Nihil aliud affirmamus, quam aliquid corpus purgationi imparatum, paratum facere; hoc autem esse imparatum bifariam præcipuè fieri potest, aut ex parte succorum qui purgandi sunt, aut ex parte viarum: si ex parte succorum, erit autem crasities, lentitia eorum, vel tenacitas, vel sive lentor, vel utraque simul. Ex parte foraminum, seu meatuum, una causa esse potest videlicet eorum obstructio, quæ omnia purgationem impediunt.* Hæc sunt genuina verba Gal. & Hypp. 2. aphorismorum, aphorismo 10. sic ait: *Corpora ubi quis purgare voluerit oportet corpora fluida facere.* Sed in principio morborum crudorum pituitorũ; præcipuéque in nostro casu per te viæ erant obstructe, & humores erant crudi: ergo non datur occasio ad hoc quod deliberetur de purgatione methodo, & via rationali.

Sed dices, sufficiet præparatio extenuãtium, medicamentorũ, & incidentium, ut tenes. Sed contra sic argumentor; humores per te erant in prima, & secunda regione, erant multi crudi cum obstru-

obſtructionibus eorum; ſed hic ſimul, ut ais ſunt evaquandi, ſed ſimul non poſſunt incindere, atenuare, & abſtergere; quia ſimul primam, & ſecundam regionem non poſſumus præparare; quod non ſimul poſsimus præparare primam, & ſecundam regionem probatur. Secunda regio, nullo modo poteſt præparari cum extenuante incidente medicamento, abſtergenteque; quin prius prima ſit evaquata: probatur cum Galeno. 4. de ſanitate tuenda. c. 5. ubi nos docet: quod quando ſunt cruditates in prima regione, læviter debemus incindere atenuare, ne humores ferantur ad ſecundam regionem, qui ſunt in prima, & faciamus maiorē morbum: ergo vis medicamentorum, non poteſt pervenire ad ſecundam regionem. Probatur ſumpta indicatione, exſitu partis debent pervenire ad ſecundam regionē; ſed hæc medicamenta maiorem vim ſint, quam quæ imperantur in præparatione humorū qui ſunt in prima; ut nos docet Gal. ergo humores qui ſunt in ſecunda regione, non ſunt inciſi atenuati, neque diſpoſiti ad evaquationem; & ſi medicamenta pervenient ad ſecundam regionē, eſt contra præceptū Galeni in loco allegato; & ſi non perveniunt, non ſunt diſpoſiti humores ad purgationem: ergo male deliberatur de purgatione ſine diſpoſitione & coctione. Magis argumentor, in noſtro caſu non ex eo quod noſter eger pluribus diebus, exhiberet ſyrupos extenuantes, incindentes, abſtergentes, ex eo colligitur, quod humores ſint diſpoſiti, & viæ ſint apertæ, ſi die antecedente maximum potum aquæ frigidæ ter aſſumpſit: aqua verò cruda frigida habet vim refrigerandi, incraſandi, obturandi, & adſtringendi: ergo ex neceſsitate de novo viæ obſtruē tur, & humores craſi, & lenti redderentur: ergo neceſſarium erat de novo incindere, atenuare, & aperire: ergo male deliberaſti de purgatione ſine methodo, & via rationali, in noſtro ęgro.

Magis corroboratur, cum loco ad te adlato, ſed male intellecto, quo voluiſti probare in domo ęgri, quod ſicut Galenus ſanguinem mittit, quamvis non ſit plenitado, ante quam ad deobſtruendas obſtructiones accedat, ſic & propter eandem cauſam debemus purgare, qui locus Gal. eſt 8 methodi, cap. de febre diaria facta à lævi conſtipatione, ubi ſic ait: *Inter has igitur ætates ubi robur*

*robur ægro non deſt ſecanda vena eſt; etiam ſi ſigna plenitudinis non adſint; præſtat enim vitioſi ſucci parte maiori emiſſa ad tergẽdas obſtructiones accedere cum alioquin metus ſit, ſi obſtructionibus liberandis prius, quam vaquaveris ſtudeas, ne ipſas magis impingas, at ſolvunt quidem obſtructiones, quæ deterſoriam facultatem obtinent, ſeu foris ſunt admota, ſeu intra in corpus accepta, periculum verò eſt etiam neque foras trahunt una cum eis, quæ obſtruunt, etiam aliquid quidpiam atrahant, & quæ ab interno ſurſum fuerunt aliquid ſecum in eis, qui in vaſis continentur rapiant, quod ipſum ſi tenax ſit obſtructionem certè ſuam non parvum omnino nocebit.* Hæc ſunt verba Galeni. Ergo in noſtro caſu non poſſumus uti medicamento purgante; ſed potius haberet rationem cauſæ nocentis, quam iubantis; probatur cum hoc loco, Galen. ſanguinem mittit quamvis non ſit plenitudo, ne vi medicamentorum extenuantium fiant obſtructiones; ſed medicamentum purgans per te, non tantum debet purgare primam, ſed ſecundam regionem; ſed in prima, & ſecunda regione, ſunt multi humores crudi, frigidi, craſi, & obſtructiones; quas obſtructiones eger noſter habuit, & uſque adeo durant, quas ego curo: ergo ſi viæ per quas humores ſunt ducendi ad primam regionem, habent obſtructiones, & non ſunt reſerate, & aperte, vi medicamenti expurgãtis atrahetur humor ad primam regionem, & faciet maiores obſtructiones. Probatur, humores crudi, frigidi, & lenti, debent ex neceſsitate pervenire per illas vias; iſtæ viæ ſunt obſtructæ, ſed obſtructio fit à multitudine, vel craſitie, vel lentore: ergo ſi moveantur crudi humores, & trahantur cum ſua multitudine, & ſua craſitie, & lentore, faciẽt maiores obſtructiones: ergo male deliberatur de purgatione ante quam humores ſint cocti, & viæ apertæ, quod per urinas cognoſcimus.

Ipſe met eger anno præterito laborabit eundem affectum, & ego curavi fœliciſsimé quindecim diebus cum hac conſideratione.

In noſtro ęgro plura conſiderantur nimirum multi humores crudi pituitoſi in prima regione, craſi, viſcidi, & lenti, obſtructiones fientes, & facte in ſecunda regione veró multi itidem cum aliquibus obſtructionibus, in qua curatione medicus ut methodice

dice fiat debet curare per indicationes, nam indicatio tanquam veluti cum digito nos docet, quid debemus facere. Et cum indicatio, aut eſt ſimplex, vel compoſita (& hæc eſt curatrix) ſimplex verò indicatio eſt, quæ ab una re ſimplici tantum ſumitur, ut ab una intemperie; nam quod unum eſt, unum indicat, & unam habet indicationem, niſi illud unum diverſam habeat naturam; nã quamvis unum ſit, non unam, & ſimplicem habebit indicationẽ, ſed compoſitam; quod exemplo vilis redundantis, vel pituite: ut Gal. lib. de optima ſecta ad tranſivulum, cap. 44. docet: nam vilis quatenus acris, & mordax indicat retunſionem, quatenus multa evaquationem calida refrigerationem: ergo una & eadem res habebit diverſam naturam compoſitam habebit indicationem Cõpoſita verò indicatio eſt, quæ à duobus affectibus ſimul exiſtentibus ſumitur indicatio (ut eſt indicatio, quæ ſumitur à morbo calido, & ſicco, & aliis huiuſmodi) item compoſitæ indicationes ſubdividimus, aut ſunt concordes, aut contrarie: concordes indicationes ſunt, quæ in unum conſpirant, ut ſi Socrates natura frigidus, ætate frigida, ambiente frigido, aſuetis frigidis alimentis, febre corripiatur, tùm multæ & concordes ſunt indicationes, & ille omnes ſunt cõcordes, quoniam in unum conſpirant, omnes namque indicant eſſe remedijs frigidis utendum. Contrariæ verò indicationes ſunt, quę contraria indicant ita ut quod unum indicat alteri adverſetur, ut Gal. lib. 9. method. medendi, cap. 13. itaque contrariæ indicationes, non dicuntur propterea contrariæ, quia á contrarijs ſumuntur, nam aliquæ ſumuntur à cõtrarijs, & ipſe non ſunt contrariæ indicationes, ſed quia indicata ſunt contraria, in qua re fuit deceptus argenterius dicens vires, & natura, quia contraria ſunt morbo contrariæ cum morbo habere indicationes. Verum quantum fuit deceptus argenterius, ex Gal. lib. 8. metho. cap. 9. intelligemus, quo loco docet ſi natura frigida in morbo calido aficiatur, tùm cõcordes eſſe indicationes morbi, & naturæ quamvis morbus, & natura ſint contraria. Aliquando verò á quibus ſumuntur indicationes contraria non ſunt, & indicationes ſunt contrariæ, ut in flecmone cum ulcere: flecmon, & ulcus contraria non ſunt, & tamen indicationes contrarias, quoniam quod

prodeſt flecmoni adverſatur ulceri; ut Gal. 8. method. cap. ultimo elegantiſsimè docet.

In contrarijs indicationibus exercendis duo debet medicus expendere, ſcilicet numerum indicationum, & earundem indicationum magnitudinem, ſeu dignitatem, ut Gal. lib 8 metho. c 9. docet, quam rem exemplis docere poſſumus. Fingamus enim Socratem natura calidum & ſiccum. in ætate calida & ſicca (ſcilicet in iubentute) ambiẽte calido & ſicco, regione calida & ſicca, aſſuetum alimentis calidis & ſiccis afficiatur febre. In eo ſane multę & diſcordes ſunt indicationes, nam indicatio quæ ſumitur à febre frigida, remedia eſſe adhibenda reliquæ autem indicationes indicant calidis & ſiccis eſſe utendum, in his ſane contrarijs indicationibus maior numerus eſt indicantium, quæ ſuadent calida & ſicca remedia eſſe imperanda, ſola enim indicatio, quę à febre ſumitur indicat remedijs frigidis eſſe utendum, cæterum quamvis una ſit indicatio (quæ à febre deſumitur) nihilominus magnitudine, & dignitate reliquas omnes indicationes ſuperat præſertim ſi à natura plurimum receſſerit febris illa, nam tum duplex erit magnitudo indicationis à febre petita, prima quæ à febre petita, & prima quæ deſumitur à febre, quæ plus cæteris omnibus indicationibus redit medicos ſolicitos, cum ſit communis morbus omniũ partium noſtri corporis; ſecunda magnitudo eſt, quæ plurimum à natura recedit. Si autẽ febris ſit pauca, ita ut ſit exiguus lapſus, tum licebit reliquas omnes cum ea conferre, & ſi par eſſe videantur, non magis refrigerare quam calefacere, & ſiccare oportere, ſed media victus, ratio eſt præſcribẽda alijsque remedijs eſt utendum. Si verò aliqua indicatio ſuperat tantum á medio victu, & alijs remedijs recedere oportet, quantum ſuperat à ſua contraria. Et in his medicus debet eſſe exercitatus, quam rem, Gale. 8. method. cap. ultimo, docet verum cum contrariæ indicationes exerceri ſit maximi momenti, ulterius hanc rem cum Gal. explicabo, lib. 7. methoc. cap. 13. ubi docet eo loco in contrarijs indicationibus tria à medico conſideranda eſſe primum quis affectus magis urgeat, & urgentiori affectui eſſe ſuccurrendũ alio non neglecto. Secundum quod conſiderãdum eſt, ſi quis affectus ex illis habeat

ratio-

rationem cauſæ. Tertio & ultimo eſt conſiderandum ordo, ſcilicet, quid ante quid, quid poſt quid, & quid cum quo eſt curandū. Primum autem curandum eſt, ut dixi eſſe affectum, qui magis urget urgentia verò affectus. Ex illius magnitudine expendi debet, eſt enim affectus magnus, ex quo imminet vitæ periculum, qui quidem eſt triplex primo modo dicitur morbus magnus in ſua eſſentia, ut magnū ulcus in crure, aut in quavis alia parte corporis, magnus morbus dicitur in ſua eſſentia. Secundo modo dicitur magnus, ex eoquod ſit in parte principe, ut morbus exiſtens in corde hepate, & ventriculo, qui ad proportionem hepatis ſe habet, ut Gal. 7. method. cap. ult.

Cæterūm advertendum eſt omnes morbi, qui morbi dicuntur magni in his partibus principibus exiſtentes, non eſſe magnos, nā ſi ex eis non impēdeat vitæ periculum magni, non erunt unde febris diaria, quamvis morbus ſit cordis magnus morbus non eſt dicendus. Tertio modo dicitur morbus magnus, ex eo quod ſit cacoetes, ſeu mali moris, ut ulcera iuxta articulos, quæ quamvis parva ſint magnus morbus propter cacoexiam, & malam morē, & etiam febris peſtilens. Vrgentia igitur in morbis hac triplici magnitudine eſt expectanda urgentiori affectui ſuccurrendum eſſe prius, alio non neglecto; ut docet Gal. lib. 10. method. cap. 1. illi namque ſuccurrendum eſt propter urgentiam, quæ ex magnitudine, & eſſentia à natura deprehenditur. Si autem in contrarijs indicationibus non ſit affectus aliquis, qui urgeat conſiderādum eſt, quis affectus habet rationem cauſæ alterius, & affectui habenti rationem cauſæ ſuccurrendum eſt, prius ſi verò non ſit affectus urgens, ex quo magis impendeat vitæ periculum, neque affectus habens rationem cauſæ alterius, ordinem conſiderare oportet, ſcilicet, quid ante quid, hoc eſt quem affectum conveniat ante alium curare, quod ex exemplo ulceris cavi ſordidi cum flecmone coniuncti demoſtrare poſſumus, nam tunc ſunt contrarij affectus, ex quibus unus magis quam alius non urget, neque unus habet rationem cauſæ alterius proinde in his curandi ordinem prædictum ſervare debemus, ideo flecmō curanda eſt, nam ſi illa prius non curetur alij affectus curari nō poterint, quia ex illa flec-

mone perpetuo aliquid resudaverit, quod sordidum reddit ulcus curata flecmone sordes abstergendæ sunt, quod si non abstergantur caro, non poterit generari præterea simul ulcus curatur, & cavitas carni impletur post hæc cicatrix medicanda est, hæc tria debemus considerare, in qua exercitatione debet medicus esse doctus, solicitus, & peritus.

His suppositis ad nostrum casum redeamus, in prima regione erant multi humores pituitosi, frigidi, crasi, lenti obstructiones fientes & fate in secunda veró itidem cum aliquibus obstructionibus, in quibus sunt indicationes multæ, & contrariæ, nam multitudo quæ est in secunda regione, quamvis non sit morbus est causa eius præsens, vel imminens, & cum sit magna indiget, magnum redium, & hoc sunt duo sanguinis missio, & purgatio: sanguinis missio, locum non habet, ut Gale. nos docet. 4 de sanitate tuenda, nam datur cruditas in primis venis, neque purgatio, ut ibidem docet, ubi ait: *Nam qui bonum sanguinem mittunt malumque in primis maxime venis, & circa iecur, & quod mesenterium vocant colligitur in totum atrahit corpus, & morbum facit deiectio verò in talibus tormina & rosiones, animique deliquia cum eo quod, neque notatu quidpiam dictum educit, quoniam crudi omnes succi pigri ad motum inepti propter crasitudinem, frigiditatemque sunt, quo fit omnes angustas vias obstruant, per quas id quod medicamentum deiecit ferri ad album debet itaque, neque ipsi educantur, & alijs sunt impedimento: id quod sane Hypp. illo oraculo præcipit, quo brevissimè præcipit concocta medicamento tentanda esse non cruda.* Hæc sunt verba Galeni. Ex quo loco evidentissimè colligitur, non esse purgandam primam, neque secundam regionem sine coctione, ut docet qaando dicit Galen. quoniam crudi omnes succi, prigri, &c. neque sanguis mittendus in eodem lib. nos docet quomodo in hoc casu debemus curare, & sic ait: *Quare servandi sunt in omni quiete dandaque ipsius potio, medicamentaque sunt singula eius generis, quæ atenuent disicent, & conficiãt succorum crudorum crasitudinem, & id citra manifestum calorem, nam qui calefacti vehementius succi sunt iis omnem corporis partem feruntur, ergo nutries oximelite aliquando tisane & postea ait crudorum copia, quos paulatim concoquunt ad corporis alimentum ab utentes; & postea inquid, quod si integram coctionẽ*

*ut san-*

*ut ſanguis fiant forte fortuna, non ſit datum attingere bomitione, aut deiectione facile deturbantur à corpore, in quarum uſum levia bomitoria, & criſteria.* Hæc ſunt verba Galeni. Vbinos docet quomodo debemus curare hunc affectum.

Evaquata iam prima regione, & revulſo humore obſtructiones factæ ſunt tollendæ incidentibus, & abſtergentibus, Gal. lib. de ſanguinis miſsione, cap. 12. nos docet, quomodo debemus curare multitudinem humorum crudorum pituitoſorum in ſecunda regione, ubi timet de medicamento purgante, & ſic ait (agens de medicamento purgante:) *Verum quod ita datum eſt correctionem ſubinde non admittit, nam quod ſemel in ventrem ingeſtum eſt medicamentum, quominus totum deboratum ſit fieri non poteſt, neque licet uti plus iuſto iam purgatur homo partim eius ablatum auferre, at in ſanguinis miſsione maximum bonum eſt evaquationem ubi volens ſiſtere, ac rurſus quo utique placuerit tempore iterũ, ut fluat permittere.* Et poeſta infra inquit: *In quibus igitur multa vaquatione eſt opus vires autem ſunt imbeciliores, vaquationem recondere convenit quemadmodum nimirum in iis, qui crudorum humorum copiam laborabant facere compexiſtis, nam pauco ſanguine detracto vaquato protinus mulſam probe coctam cum extenuantium medicamẽtorum copiam, aut iſopo, aut origano, aut tragorigano exhibeo deinceps rurſum ſanguinem mitto interdum quidem eodẽ die, interdum verò poſtero in tertio die ſimiliter vis.* Hæc ſunt verba Gal. Ex quo loco manifeſtum eſt, quod non debemus purgare, ſed ſanguinẽ mittere, ut ego feci anno præterito, & numero quindecim dierum curavi in noſtro ęgro eundem affectum fœliciſsimè, & odie non eſt curatus. Neſcio quomodo te iactas, quod tu curaſti obſtructiones magis lediſti, & die ſequenti poſt purgationem habuit febrem, quam antea non habeat. Gal

Ex quo coliges, quod in noſtro caſu unus affectus, non urget magis quam alius, humores verò qui ſunt in prima regione habent rationem cauſæ foventes obſtructiones, & ipſis ablatis auferuntur obſtructiones fientes, quæ ablate deveniendum eſt ad factas, & tollenda eſt plenitudo crudorum ſuccorum, & hoc ſanguinis miſsione, & non purgatione, iam quod reſiduum eſt natura debet concoquere & per coctionem ſeparare utile ab inutile, & ſi natura non expelat iuvanda eſt medicamento purgãte, nam ad hoc; quod purgatio bona ſit debet procedere ex utroque, ex medicamento atrahente, & natura expelente, ut iam probatum eſt; ſi verò natura expelat totum opus eſt relinquendum natu æ (quæ

omnia in principijs morborum non poſſunt euenire)& hæc curatio cõſona eſt doctrina Hypp.& Gal.

Ex quibus rationibus, & locis facilime reſpondetur ad tuam concluſionem.

Ad locum Galeni,quos quando, & quibus convenit. Contrarium docet Galenus, ut probatum remanet, nam aliud eſt ad purgationem imparatum,paratum facere, hoc eſt incindere, atenuare, & vias aperire, quod veriſsimum eſt ante expurgationem, ut rectè procedat, & quando humores ſunt cocti,&naturam habemus adminiculantẽ,quod tu non feciſti;ut Gal.& Hypp.nos docent in locis ſupra allegatis.

Ad ſecundum locum Galeni.2.aphoriſmorum.29. ubi dicit: *Circa initia verò illorum morborum, in quibus ſperatur ægrus convaliturus tentanda maiora remedia ſunt.* De quibus Hyppoc.ſic. *Si quid tibi videtur movendum move ſunt, hæc præcipuè quidem bene ſectio nonnunquam, & expurgatio quorum neutro oportet morbo iam conſiſtente adhibere.* Hic locus contra te eſt, nam contrarium docet.Et Chriſtophorus à Vega in commento huius aphoriſmi,ſic inquit,& hæc ſunt verba:*Video magnum numerum medicorum noſtri temporis improbe ſervaſſe huius aphoriſmi ſententiam, & longe aliter quam par eſt intelligere Hypp.mentem,putat enim hac ratione convenire omnibus morbis,qui aut febres ſunt, aut febres adiunctas ſint prima, aut ſecunda die ventrem purgare ea quam ipſi minorativam purgationem de mentes excrementa primarũ venarum quæ vocant materias communes, ut quæ deinde natura minorata materia reddatur prontior ſupra reſiduum, quod Gal.his verbis dixiſſe videtur, ut igitur coctiones citius eveniant melius eſt circa principia evaquare,quo minorem iam factam materiam facilius poſsit natura concoquere, verum his omnibus, quã maximè errant uti commentario 21. ſectio.1. probavimus. In præſenti namque aphoriſmo Hyppoc.dao docet. Primum eſt,in principijs morborum magis remedijs utendum eſſe, ubi aliquid movendum videatur. Secundum, in vigoribus ab huiuſmodi remedijs eſſe abſtinendum.Principium morbi ab alijs coctione,& crudítate diſtinguitur,nam principium eſt cum crudus eſt morbus.Augmentum cum coctionis note aparere incipiunt,ſed nondum integre ſe oſtendunt. Vigor cum integre coctus eſt humor faciens morbum declinatio morbi, & humoris deminutio eſt. Movemus autem ſanguinis miſsione,aut purgatione, quæ magna remedia à Galeno in commento huius aphoriſmi appellatur ſanguinis miſsio, vel incipiente morbo,ſi conveniat temporis ratione non denegabitur, præter quam quod medici quorum meminimus ante ipſam minorativã purgationem exercent,de purgatione*

verò

*verò dicemus, Hypp. voluiſſe ipſam in principio eſſe exercendam, ſi quid movendum videtur, ac ſi dixiſſet. ſi quid turget tantum ea movenda videmur in principijs, quæ turgent aphoriſmo 21. ſectio. 1. cum verò morbus viget quieſcere melius eſt, & ab his abſtinere purgationibus, & eis diferre in declinatione, & ſumi vigoris finem expectantes, an natura aliquam faciat iudicationem, quam ſi imperfectam videmus ipſam arte perficiemus.* Ex quo loco percipies quantũ erras à mente Hypp. & Galeni, cum humores non turgeant in noſtro caſu, ſed ſunt firmati ad alia loca Galeni. 13. cap. 5. cap. 11. Eadem ratione reſpondetur, nam Gal. propter turgentiam purgavit, non in noſtro caſu, quia humores non turgebant, ut dixi.

Ad locum Mercati lib. 1. de recto prædiorum uſu, cap. 6. à te allegato, ſi attentè legiſes reperies infra, hæc verba: *Niſi velimus coctionem expectare, ut alijs coctis vitioſos humores, facilius pelat natura, quo paulò inferius latius demonſtrabo.* Hæc ſunt verba Mercati, unde facilius docet eſſe expectare coctionem, quam non, & ſecurius.

Ad locum Fernelij, ubi ſic ait: *Si humor corruptus vitioſus fuerit.* In noſtro caſu humores non ſunt corrupti, & ſi deturgentia eſt intelligendus; nam alio modo nullius momenti eſt authoritas eis reſpectu Hyppoc. & Galeni, & aliorum auctorum.

Et ſic reſponſum remanet ad tua argumenta. Nam datur maximum impedimentum ad purgationem in humoribus crudis, frigidis, & pituitoſis, nam eſt neceſſarium, quod utile ſeparetur ab inutile, & inutile à natura expelatur, & ſi non fiat, fiat à medicamento atrahente, & natura expelente, quod non poteſt in crudis humoribus evenire, & vias aperire; & ſi non ſint aperte fient maiores ex turbatione humorum, facta à medicamento purgante, & alia ſimpthomata evenient, ut probatum remanet.

## SECVNDA CONTROVERSIA.

### Vtrùm, redundantibus crudis pituitoſis ſuccis in ſecunda regione cum obſtructionibus in eiſdem partibus optima methodo poſsit propinari ſyrupus de vizancis?

CONtroverſia inter nos non fuit de uſu ſyrupus de vizancis; & quãdo ego imperavi, iam eger noſter erat evaquatus purgatione bo mitionibus, & ſis ſanguine miſſo, neq; tecum venirem in deliberatior

de ſanguinis miſsione, ſi eſſet cruditas in primis venis, ut ante dictum eſt, ſanguinem non eſſe mittendum in tale caſu.

Hoc ſuppoſitum tanquam veriſsimum ſit concluſio optima methodo deliberatur de uſu ſyrupi de vizancis in copia humorum crudorũ pituitoſorum in ſecunda regione; & hoc probatur cum doctrina Gal. lib. de ſanguinis miſsione, cap. 12. unde Gal. ut dictum eſt imperat timum origanum, trogariganum, pulegium, quæ omnia calida ſunt in tertio receſu, ut Gal. docet lib. 5. ſimpt. medicamentorum de trogarigano, fol. 538. eodem lib. de origano, fol. 498. & 8. lib. method. Gal. c. 4. apium in eodem uſu imperat, ſolum non ut reperitur, & ingreditur in ſyrupo de vizancis, in qua compoſitione ingreditur borrago, bugloſa, & endibia, quæ omnia temperata ſunt, magis quam apium ſolum.

Sed ut tua malitia magis claré videatur, ſic argumentor, ideo ſyrupus de vizancis, non eſt imperandus (in noſtro caſu) quia movet urinã, (ut tu contra mea arguis) ergo malè deliberaſti de purgatione propter eandem cauſam. Probatur, medicamentum purgans quod imperaſti, erat Rhabarbarum Agaricum, &c. Sed hæc medicamenta movent urinam (ut omnibus notum eſt, & ſine dubio) ergo malè deliberaſti de purgatione, & ſine occaſione. Nam non eſt maior ratio unius quam alterius; nam tu die antecedenti imperaſti medicamentum purgans: ego verò die ſubſequenti imperavi ſyrupum de vizancis. Et malus eſt ſyrupus de vizancis quia ego imperavi, & bonum quia tu imperaſti medicamentum movens urinam, vide tuam intẽtionem, & reſpice temetipſum, & loca à te allegata eſſe contra te.

Hæc ſunt, quæ poſſum accipere ex mea paupertate, & inſcitia in ſpatio quatuor dierum; nam ego me cognoſco, nihil ſcire: tu quia dives es ſed tua bona habes diſperſa, accipe animo, & amore benevolo, & vide me ſanum ex tuo vulnere facto cum inſtrumento butyri. Vale.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DE LA FAC. DE MEDICINA